

prolixius est, quàm quòd in hac scheda ventiletur, nosq; alio die an-
 tè hæc & plura alia per discipulos ex gravissimis Theologis discussa
 recitari in actu publico (i) curavimus §. 18. Et talia sunt ista quo-
 q; quæ circa Scientiam seu vim intelligendi eorum moveri solent:
 Cùm enim concedatur ipsis scientia non solum naturalis & experi-
 mentalis, sed etiam supernaturalis, quæri porrò solet, An possint
 & præscire & prædicere futura? Quicquid sit, uti eorum potestas
 est misera & egena, ita præscientia quoq; est lubrica & dubia,
 Τα μήπω παρόντα ἀγνοῶσι, dicit Isidorus Pelusiota, §. 19. Deniq;
 an cogitationes nostras scire possint, an Deum & divina myste-
 ria, an itidem JESUM in carnis infirmæ οἰκονομίᾳ existentem cer-
 tò cognoverint, prolixè apud Theologos & Scholasticos disputa-
 tur. Non de nibilo est distinctio inter certitudinem scientiæ & in-
 ter conjecturam opinionis firmæ §. 20. Distinctio Demonum in
 certos ordines uti ipsa est vulgata, ita minùs certa. Et, quæso, quæ
 sit ordo apud ἀταξίας amatorem & autorem? Audiamus tamen,
 uti Johannes Wierus, Medicus (κ), & alii recensent. Primus ordo
 est ψευδοθέων, Secundus ψευδοπνευμάτων ibi princeps est Beel-
 zebub, hic Pytho (sive Pythouissa, ut Achabo suo à latere sit Jesa-
 bel Punica, quæ nullus Pœnus umquam Puniior λ). Tertius ha-
 bet vasa iniquitatis sive κακόεχνίας, quorum princeps sit Belial.
 Quartus ultores scelerum sub principe Asmodæo vastatore. Quinta-
 tus ducem Satanam cum Magis & præstigiatoribus. Sextus pote-
 states aëreas, quæ se fulguribus, tonitruis & fulminibus immisce-
 ant, quorum princeps perhibetur Meririm. Septimum nominant
 Abad-

(i) Anno CIO CIC L. d. 30 Sept. Vide programma XXXII. (κ) De Præstig. Dæ-
 mon. lib. I. c. 22. (λ) ex joco Plautinò Pœnul. V, 2, 31.